

Zu der öffentlichen Prüfung aller Klassen

des

Königlichen Gymnasiums zu Marienwerder

Donnerstag den 3. Oktober 1861

ladet ergebenst ein

der Direktor

Dr. Aug. Lehmann.

Inhalt.

1) Abhandlung vom Oberlehrer Dr. Zeyß.
2) Jahresbericht vom Direktor.

Marienwerder, 1861.
Gedruckt bei Friedrich August Harich.


SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica
Kopernikańska
w Toruniu
SCHULPROGRAMME

De
vocabulorum Umbricorum fictione

scripsit

Dr. A. F. Zeyſs.

Partic. I.

§. 1.

Quod multi fecerunt, qui diligenter inquisiverunt in linguarum indolem, ut cum herbis eas compararent, id a natura earum non videtur esse alienum. Nam ut herbae naturali necessitate ita oriuntur e terra, ut ex legibus natura sibi insitis suis se seminibus exserant et evolvant, sic unum universi populi ingenium hoc efficit, ut ex radicibus ex certis legibus in animis hominum natura insculptis lingua gignatur. Quod vero dico de inventis verborum radicibus, id prorsus non ita dico, ut principio fuerint nudae radices, postea verba ex iis formata, nam nullae unquam fuerunt verborum radices, quae nihil aliud essent nisi radices, verum quaecunque verborum radix ficta est, ea ita ficta est, ut aut ipsa esset verbum primitivum, aut pars eius principalis. Fieri enim non potest, quin mens humana, etiamsi forma radicis utatur, tamen cuius ea sit verborum generis, eius ipsius habitu aliquo modo declaret, ex quo illud efficitur, ut, quidquid videtur formam habere atque speciem nudae alicuius verbi radicis, id reapse non radix sit, sed vocabulum. Radices vero aut ex singulis aut ex pluribus constant elementis, quibus certissimum est inesse vim quandam propriam et impressam esse ipsa natura eam significationem, quae quam sit vera non possit nisi naturali sensu neque percipi neque iudicari. Elementa igitur quum partes sint, quibus continetur quodque vocabulum, in notione illis subiecta huius necesse est positam esse significationem. Quod quamquam iam Plato cognitum habuit, qui in Cratylo (p. 424—427.) Socratem de ea re facit disputantem, tamen quae summa confecta est ex quaestionibus omnibus de vi et notione elementorum propria institutis, ea tam est dubia et incerta, ut quaerentibus nobis de vocabulorum fictione non ab illa, sed ab ipsis verborum radicibus sit proficiscendum. Triplicis autem eae radices videntur esse generis. Et unum quidem genus est interiectionum, quas, quamquam a principio sunt animi sensus significationes ita non quaesitae, ut nihil aliud videantur esse nisi soni, quos vehementiore aliquo sensu commota etiam bruta edant animalia, tamen certas notiones continere existimandum est, propterea quod non solum ex elementis constant tam certis et tam certam vim habentibus, ut proprie demonstrent ea, quae significari ac declarari volumus, sed etiam in pari animi affectu non commutan-

tur. Alterum genus est verbalium radicum, ex quibus nata sunt vocabula fere omnia, quibus aliqua subiecta est notio, id est verba, adiectiva, substantiva, pleraque adverbia, et ita nata sunt, ut alia ex aliis manaverint. Earum radicum altera pars orta est ὀνοματοποιΐᾳ, quae proprie dicitur, sive sonorum a natura profectorum imitatione, altera eaque maior ὀνοματοποιΐᾳ, quae per translationem verbi vocatur, id est ea ratione, quae ad illorum ὀνοματοποιητικῶν sive facticiorum similitudinem quodammodo accedit; verissime enim dici potest, quodcunque verbum inventum sit, id qui invenerit non suo iudicio aut sua sponte invenisse, sed necessitate quadam naturali sibi sensu allata, quae id valeret, ut, quod animo concepisset, id verbo quasi imagine exprimenti apta atque idonea elementa ultro occurrerent. Tertium genus est pronominalium radicum, ex quibus orta sunt vocabula fere omnia, quibus nihil aliud redditur nisi aliqua rerum forma, id est numeralia nomina, pronomina, adverbia pronominalia, pleraeque praepositiones et coniunctiones. Vulgo eae quidem radices genitis nominibus natae esse existimantur, propterea quod fieri non possit, ut is, qui gerat alicuius personam, ei antecedat, cuius sustineat personam, pronomina autem, quae eorum sit vis et natura, pro nominibus sint; sed quum quas res ab externa specie, quae sensibus percipitur, nomina denotant, eas pronomina ita declarent, ut, quales sint, qua sint forma et ratione, significent, quaeritur omnino, num omnia pronomina fictis demum nominibus orta sint. Sunt etiam, ut Gerland. (de linguae graecae dativ. singul. Marburg. 1859. p. 31—34.) et Th. Benfey (in act. eruditorum, quae Kuhn. edit, vol. 9. p. 121.), qui negent fieri posse, ut ulla lingua vocabula habeat, quibus a principio nihil aliud notatum sit nisi aliqua rerum forma. Pronomina igitur ut iam veteres Indorum grammatici a verbalibus radicibus duxerunt, sic illi partim nomina fuisse dixerunt, quorum vis ita esset attenuata atque imminuta, ut in pronomina converterentur, partim, maxime demonstrativa, ex verbis, quorum vis esset deminuta, exstitisse. At non solum ipsae radices pronominales eiusmodi explicationis novitati adversantur atque repugnant, sed ne est quidem, cur neges has, quamvis mira prae multitudine verbalium radicum earum sit paucitas, tamen neque genere ab illis differre neque simili illis modo ex mente humana ultro esse profectas.

Proximum est, ut explicemus, qua ratione ex radicibus verba fingantur. Ea omnino duplex est. Primum enim ab iis verba ducuntur additis aut litteris aut syllabis (παραγωγαῖς), quibus aliqua quidem ex parte significatio earum circumscribitur et definitur, tantum autem abest, ut immutetur aut novetur, ut quaecunque verba ex eadem radice nata sunt, (quae a Graecis vocantur σύστοιχα sive σύζυγα, a Romanis coniugata sive congenerata), ea etiam significationis eius communione sint sociata. Ad originem igitur vel speciem (εἶδος) bifariam vocabula natura sunt dispertita, in primitiva sive principalia (πρωτότυπα) et derivata (παραγωγά). Deinde componendis verbis nova verba formantur, ex quo sequitur, ut ad formam vel potius ad figuram (σχῆμα) omne genus vocabulorum describendum sit in simplicia (ἁπλᾶ) et composita (σύνθετα), quibus ea accedunt, quae sunt a compositis ducta, παρασύνθετα vel, ut cum nostratibus loquar, decomposita.

§. 2.

I. De verbis.

A. De radicibus verbalibus et verbis primitivis.

Linguae umbricae radices verbales fere omnes monosyllabae sunt et aut vocali terminantur, ut gna sive gno (gnoscere), hā (tenere), spā, sta (stare), ai[1]), e sive i (ire), vei (vehere) ex veh ita ortum, ut abiecta consonante extrema antecedens e produceretur, śi, pō (bibere)[2]), fu (esse), kŭ sive gŏ (plenum esse,

---

1) Ut măgior, pulĕgium, Sĕgia vocabulorum gutturali littera abiecta factum est, ut antecedens vocalis brevis produceretur et i vocalis in j semivocalem verteretur, ita ut mājor, pulējum, Sēja orirentur, sic latinum ājo gutturali littera, quae in nēgo servata est, abiecta ex ăgio natum eiusque verbi radicem ag eandem esse, quam sanscriticam ah (dicere), exploratum est. Non multo aliter Aufrecht. et Kirchhoff. aitu umbricum ex a-i-tu (ling. Umbric. monument. Vol. I. p. 19.) et aj radicem extrito h ex ahj ortam esse (ling. Umbric. monum. Vol. II. p. 401.) dixerunt; at iidem in eo ipso, quod putaverunt eandem esse vim huius umbrici verbi, quam illius latini, vehementer erraverunt. Nam quum omnibus locis, quibus hoc verbum invenitur, dicendi notio non convenit, tum maxime VI. b, 18. cum I. a, 17—19. collatum obstat, quominus hanc eius verbi significationem esse probemus. Etenim ea, quae VI. b, 5—6. his verbis praescripta sunt: „fetu Fisovi Sansi ocriper Fisiu, totaper Ijovina," i. e. facito Fisovio Sancio pro ocri Fisio, pro civitate Iguvina, VI. b, 18. haec sequuntur: „Capif purdita dupla aitu, sacra dupla aitu," i. e. capides porrectas duplas — to, sacras duplas — to, quo loco duplae capides postulantur propterea, quod VI. b, 5—6. imperatum est, ut et pro ocri Fisio et pro civitate Iguvina sacra fiant. Pro iis illo loco primae tabulae, qui huic respondet, I. a, 17—19. haec scripta sunt: „Fisuvi fetu, ukriper Fisiu fetu kapif purtitaf, sakref; etraf purtitaf, etraf sakref tutaper Ikuvina," i. e. Fisovio facito, (et quidem primum) pro ocri Fisio facito capides porrectas, sacres; (deinde) alteras porrectas, alteras sacres pro civitate Iguvina. Cuius loci sententiam quum assecuti non essent Aufrecht. et Kirchhoff. (ling. Umbr. monument. Vol. II. p. 207—209.), non solum quid valeret iteratum etraf et qua de causa separatum esset tutaper Ikuvina ab ukriper Fisiu, non intellexerunt, sed etiam quod verbum, ex quo penderent kapif purtitaf, sakref, etraf purtitaf, etraf sakref accusativi, non posset neque ex iis suppleri, quae antecedunt, neque ex iis, quae sequuntur, sculptoris errore aitu, quod VI. b, 18. legeretur, hoc loco, qui illi responderet, excidisse putaverunt. At quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, quum huius loci membra sic, ut ante dixi, distinximus atque interpretati sumus, quam ex iis quidem, quae antecedunt, ad etraf purtitaf, etraf sakref accusativos cogitatione esse fetu supplendum, sed, quum I. a, 17. in verbis: „Fisuvi fetu, ukriper Fisiu fetu kapif purtitaf, sakref" is imperativus bis positus sit, ubi satis erat semel posuisse, nihil fuisse causae, cur post etraf purtitaf, etraf sakref, quos accusativos itidem ex eo pendere necesse est, tertio poneretur. Iam vero si horum locorum sic explanatorum facta erit comparatio, quum alter alteri respondeat, dubitari non poterit, quin, quod illic fetu imperativo, id hic aitu verbo significetur. Quodsi aitu et fetu synonyma sunt, tantum abest, ut in illo dicendi insit notio, ut, quod universe fetu, id proprie aitu imperativo praecipiatur.

2) Ab hac radice ductum est puni sive poni, cuius ad significationem explorandam ab his locis ordiendum est:

I. a, 4. vatuva ferine feitu, heris vinu, heri puni. = VI. a, 57. heri vinu, heri poni fetu.
I. a, 22. vatuva ferine fetu, heri vinu, heri puni. = VI. b, 19—20. herie vinu, herie poni fetu.
I. b, 6. heris vinu, heris puni feitu. = VI. b, 46. heri vinu, heri poni fetu.
II. b, 9—10. heri puni, heri vinu fetu.

Nam quum inter omnes constet heris, heri, herie particulas umbricas idem valere, quod

ventrem ferre)[3]), tŭ (complere), aut consonante, ut krap sive grab (colere, venerari)[4]), pif sive bif (speculari), trif sive tref (habitare)[5]), skrēh (scribere) pro skref, ah (agere) pro ag, uh sive oh (augere) pro ug sive og, reh (regere) pro reg posita, tag (tangere), teik sive deik (dicere), fik (figere), pak (pa-

---

vel latinum, puni sive poni neque, ut Lanzius et Grotefendus voluerunt, panem significare potest, de qua interpretatione iam C. O. Mueller. in act. eruditor. Gottingens. 1838. partic. 7. p. 62. recte dubitavit, neque tus, quod placuit Aufrechto et Kirchhoffio, qui hoc substantivum a pū (purgare) ducentes in ling. Umbr. monument. Vol. II. p. 179. et 415. cum sanscritico pāvana (tus) comparaverunt, quandoquidem eius, qui rem divinam faciebat, arbitrio vix poterat permitti, ut pro vino panem aut tus sacrificaret, propterea quod harum rerum neutra vini loco esse poterat. Nusquam igitur, etsi sexcentis locis apud Romanos de ture et vino sacrificando mentio fit, ut vel ture vel vino diis supplicetur, praecipitur, sed ubique, ut ture et vino. Accedit, quod Umbri tus eodem nomine, quo Romani, notabant, nam quae I. b, 20. leguntur, tures et pure, pro quibus VI. b, 56. peracris sacris scripta sunt, turibus et igne cum Grotefendo interpretari equidem non dubito. Quapropter necesse est puni sive poni tale liquoris genus fuerit, ut vini loco posset esse in re divina facienda. Eius autem generis quum maxime mulsum et lac fuerint, quaeritur, utrum puni sive poni dicatur. Illud Huschkius in tabul. Iguvin. p. 135. probavit, at mihi hoc placet. Nam poni quum ad pō revocandum sit, quae radix Graecorum, Romanorum, apud quos pō-culum, pō-tare, pō-tor inveniuntur, Lituanorumque, qui compotorum circulum pota dicunt, communis est eademque, quae Indorum pā (bibere), primo quidem, ut posca Romanorum escae opposita, omnem potionem significavisse videtur, sed mox, quum pê-nas lituanico, quod a pī pó radici propinquo ductum est, lac notetur idemque pajas sanscritico et poi afghanico, de quibus nominibus Pott. Quaest. Etymol. Vol. I. p. 188. disseruit, aeque atque haec nomina illam generalem notionem in hanc singularem et propriam mutavisse.

3) Ab hac radice umbricae latinaeque et graecae linguae, in qua *κῠ́ω* et *κῠέω* gravidam esse significat, communi ducta sunt umbricum adiectivum ku-miaf sive go-mia (incientes), latinum gŭ-mia (proprie plenus cibi, deinde heluo, natus abdomini suo), graeca *κῡ-μάς* et *ἐγ-κῡ́μων*. Quod quamquam iam Lanzi. perspexerat, qui (Saggio di ling. Etrusc. Vol. II. p. 716 et 816.) praeclare hanc rem explicavit, tamen non solum Grotefend. (Rudim. ling. Umbr. Partic. III. 20.) ad alia aberravit, sed etiam Aufrecht. et Kirchhoff. (ling. Umbr. monument. Vol. I. p. 73.).

4) Radix krap sive grab (colere, venerari), a qua ortum est krap-uvio sive grab-ovio (venerandus, sanctus), id quod me docuit I. G. Cuno, eadem est, a qua profectum est hibernicum crabham (venerari) et crabhadh sive crabhachd (veneratio), de quibus vid. O'Reilly lexic. hibernico-anglic.

5) Umbrorum trifu sive trefu Romanorumque tribus a numero ternario ita duci solent, ut aut, ut a Passovio et Freundio in lexicis suis, cum *τρίππυς*, quod Aeoles pro *τριττύς* dicebant, conferantur, aut, ut a Pottio in Quaest. Etymol. Vol. I. p. 111 et 217. et Vol. II. p. 441, quem secuti sunt Mommsen. in Ital. inferior. dialect. . 303. et Aufrecht. et Kirchhoff. in ling. Umbr. monument. Vol. I. p. 23 et 131. et Vol. II. p. 421, ex tribus numerali et bhū (terra) sanscritico, quod a bhū (esse) derivatum est, composita esse dicantur. Cuius opinionis quantus sit error, vel ex eo apparet, quod, ubicunque hoc vocabulum invenitur, non ternae tribus, sed singulae urbi opponuntur. Nam I. b. 16. = VI. b. 54. 58. 59. VII. a. 11. 12. 47. 48. urbi Tadinati tribus Tadinas opposita est et III. 25. et 30. urbi Iguvinae tribus Iguvina. Alia igitur ratio videtur esse ineunda, qua quae sit huius vocabuli origo investigari possit. Et haec quidem posita est in comparandis cum eo cymrico tref sive treb (vicus, oppidum) et gaelico atrab (possessio, domicilium), quae quam attingant atreba (possidet, habitat) verbum gaelicum, facile intelligitur. Ut autem illud substantivum atrab huic verbo atreba propinquum est, sic tribui finitimum est Romanorum tribuere, quod quum illius verbi gaelici sit factitivum, principio aliquid proprium alicui tradere signi-

cisci), sak (sancire); put sive but (betere sive bitere), snat (viere, vincire)[6]; fel (fellare), pel, vel, ol[7]), hol (ferire, occidere)[8]), kul (oc-culere)[9]), mal (molere); em (emere), trem; ben (venire), gen (gignere), ven, stin, hon (occidere = sanscrit. han), pun (coniungere, consociare)[10]); fer (ferre), nār (fluere)[11]),

---

ficat. vid. H. Ebel in act. eruditor, quae Kuhnius edit, Vol. 6. p. 422. sq. et Vol. 8. p. 241, qui egregie ostendit, in quam multis vocabulis, quae dŏmum, vicum, oppidum significant, harum notionum facta sit commutatio.

6) Ab hac radice videtur profectum esse snato participium, e quo, quum to terminatio cum t, quod radicis est, concurreret, alterum t excidit. Nam conferendum est illud participium cum snathae, quo nomine hibernico ad Virgil. Eclog. 8, 64. in scholiorum codd. Laurentiano et Parisino vitta redditur, sive snáthe, ut scribit I. C. Zeuss. in Grammat. celtic. Vol. I. p. 142. Snato igitur vittatus significat, quod attributum esse, ubicunque legitur, vesklo nomini is non mirabitur, qui quod sacratum esse veteres vellent, id vitta redimiisse reputaverit. Ex illo autem nomine, quod veteris est linguae hibernicae, in recentiore lingua cambrica praeposito y ysnoden (vitta) ortum est et abiecto s inceptivo noden (filum), quo comparando cum propinquo Romanorum nōdus et cum knoto, quod veteris linguae est, qua utebantur, qui superiorem Germaniam incolebant, in germanica lingua pro s, a quo haec radix initium capit, gutturalem litteram positam esse apparet.

7) Ol, quae umbrica radix in amb-ol-tu (ambulato) exstat, eadem est, quae latina ul, quae integra servata est in amb-ul-andi verbo et in ad-ul-teri nomine, quod in eandem syllabam cadit, in quam aus-ter. Patet igitur adulterum proprie eum esse, qui ad aliquem accedat, deinde eum, qui ad aliquam illiciti amoris causa accedat, aeque atque ar-bit-er proprie is est, qui accedit, deinde, qui ad aliquid videndum aut audiendum accedit. Eandem radicem u vocalis productione in ad-ūlo sive ad-ūlor, pro quo etiam ad-ōlor scribitur, auctam esse apparet.

8) Hol umbricum non, ut volunt Aufrecht. et Kirchhoff. (ling. Umbr. monument. Vol. I. p. 62 et 80. Vol. II. p. 408.), idem habendum est, quod sanscriticum hri = har (rapere), sed idem, quod sanscriticum hŭl (ferire, occidere).

9) Ab huius verbi participio kutef (occulte) adverbium ductum est, quod Grotefend. (Rudiment. ling. Umbr. Partic. II. 21. omnibusque locis interpretationis suae) et, qui eum secuti sunt, Aufrecht. et Kirchhoff. (ling. Umbr. monument. Vol. II. p. 169. et 410.) caute adverbio reddiderunt. Quam interpretationem concedo equidem, quum a grammatica non possit impugnari, tum eo commendari, quod ad sacra Romani omne genus cautionis adhibebant. cf. Cic. de legg. 2, 9. fin. „caute vota reddunto." Sed tamen improbandam esse duabus de causis censeo. Nam primum kutef, quum omnibus locis tabularum aetate posteriorum taśes (tacitus) pro eo positum sit, idem fere, quod hoc, significare necesse est. Deinde probata illorum sententia non intelligitur, id quod senserunt Aufrecht. et Kirchhoff. (ling. Umbr. monument. Vol. II. p. 169.), cur cautio ad preces concipiendas semper necessaria alias ut adhibeatur postuletur, alias ea videatur haberi, qua commode possit supersederi, at pro ea illud praecipiatur, ut preces fiant voce suppressa. Quam difficultatem qui removere sibi videtur ostendendo satis esse praesidii ad caute precandum in precatione suppressa voce facienda, is nescio an argutius expediat quam verius. Quapropter aliam mihi viam ingrediendam esse censui. De kul autem radice satis est memorare Pott. Quaestion. etymolog. Vol. I. p. 227. et de l ante t extrito haec exempla afferre: vutu (II. a, 39.), i. e. vultum, et mūta (V. b, 2.), i. e. multa.

10) Umbricum pun (coniungere, consociare), a quo ductum est pun-ti (collegium), quod Aufrecht. et Kirchhoff. ling. Umbr. monument. Vol. I. p. 74. cum sanscritico pankti (sacerdotum conventu) comparaverunt, idem esse, quod cymricum pwn (aggregare), de quo conferendum est Owenii lexic., I. G. Cuno mihi exposuit.

11) Ab hac radice non solum sanscriticae, graecae, lituanicae, borussicae slavicarumque linguarum, sed etiam semiticarum communi Nār-is fluvii nomen manavit. Conferenda enim sunt cum eo, quae sunt ab eadem radice profecta, sanscriticum nāra (aqua), graecum ναρός sive νηρός (fluens, liquidus), neograecum νηρόν (aqua), itemque ex semitico nāhar (fluere) appel-

ur sive or (oriri), par (parere); es (esse). Paucae radices in duas consonantes cadunt, ut eisk (exigere), purk (poscere), terk (tergere), pars, śers (edere), vert (vertere). In tres autem nulla exitum habet nisi persk. Et bisyllabae in umbrica lingua aeque atque in latina et graeca perpaucae sunt, ut akeq sive acers [12].

---

latus fluvius nāhār. Nec solum Νηϱ-εύς Graecorum nomen ab ea mutuatus est, sed etiam multi fluvii atque lacus et vici oppidaque eos attingentia, ex quibus haec satis est posuisse: praeter Nar-em Sabinorum illum Umbrorumque fluvium Narniam oppidum praeterfluentem etiam Naronem Dalmatiae fluvium, qui Naronam oppidum praeterlabitur, et „Narmalchan, quod significat regium flumen" (Plin. H. N. VI. 26, 30.), fossarum ad committendum Tigridi Euphratem factarum maximam. Ad haec ex borussicis nominibus proferenda sunt Narien, quod nomen est lacus Morungae oppido vicini, cui Po-narien vicus adiacet, et Narawne, quo nomine appellatur stagnum Liebstadio oppido propinquum, ex quo vicus finitimus nomen cepit Po-narmne, et quod prope Regiomontum situm est, Po-narth. Accedit ex lituanicis Narrus-Talluth, quo nomine notatur praedium Anschucke fluvio adiacens, quod idem superiore tempore Po-trimpen vocatum est, nunc autem vulgo Norkaiten nominatur; ex letticis Narowa, nomen fluvii Estoniae, cui adiacet Narwa oppidum, ex polonicisque Narew fluvii nomen.

12) Quum pro sono illo Umbrorum proprio, quem superiore illi quidem aetate, quum patrium scribendi morem tenebant, peculiari q littera notabant, inferiore autem, quum romanis litteris utebantur, duabus litteris rs exprimebant, in plerisque verbis Romani aut d aut l ex eo ortum posuerint, Aufrecht. et Kirchhoff. in ling. Umbr. monument. Vol. I. p. 84. et Vol. II. p. 251. et 401. Akequnias sive Acersoniar nomen, quod est vici Iguvio finitimi, idem esse censuerunt, quod Aquiloniae, quod nomen est oppidi Frentani, quod osce Akudunniú nominatur, hodie autem Acedogna dicitur. At non solum in aliis dialectis italicis q umbrico simplex r respondet, ut pro aq umbrico et Volsci (cf. arpatitu in tabula Veliterna) et Romani ar posuerunt, quam antiquiorem ad praepositionis formam esse constat, sed etiam Umbri ipsi in aliquot verbis inter q et r fluctuaverunt, ut in illa ipsa praepositione aq, pro qua in compositis etiam ar legitur. Cf. arveitu (I. b, 6.) et arfertur (VI. a, 3. VII. b, 3.). Accedit, quod pro ars mahamo, quod VI. b, 56. scriptum est, I. b, 19. armamu invenitur, pro teqtu IV. 28. tertu, pro teqti erus, quod collato teqte eru (V. a, 7.) videtur legendum esse, II. a, 28. terti erus, pro etuqstamu, quod I. b, 16. exstat, VI. b, 53. bis eturstahmu et VI. b, 55. eheturstahamu. Adde tribrisine (VI. a, 54.) ablativum eius substantivi, cuius nominativus est tribqiśu (ternio), cuius quintam litteram in archetypo r, non q, esse Aufrecht. in act. erudit., quae Kuhn. edit, Vol. I. p. 278. perperam iudicat. Praeterea kaqe sive kaqi stirpi, ut in latina lingua calare sive potius calere, unde dictae sunt calendae, et in graeca καλεῖν, sic in hebraica kārā respondet. Non ita multa sane haec sunt exempla, sed tamen non adeo nulla, ut probare liceat, quod Grotefend. in Rudiment. ling. Umbr. Partic. VII. 33. et Aufrecht. et Kirchhoff. in ling. Umbr. monument. Vol. II. p. 164. 174. 402. 420. pro certo sumpserunt, eodem chalcographi errore, quo I. b, 43. pro arviu esset scriptum aqviu, in iis omnibus r pro q positum esse. Imo vero probabilius videtur esse, Umbros ipsos si non in omnibus verbis efferendis, at in nonnullis ita inter q et r fluctuasse, ut etiam in scribendis iis utraque littera uti liceret. Quae quum ita sint, non dubito Akequnias sive Acersoniar nomen idem habere, quod Acerroniae, quod nomen fuit illius oppidi in Lucania siti, quod hodie Acerno dicitur. Accedit, quod Plin. H. N. III. 14, 19. Acerras memorat, quae Vatriae cognominabantur, oppidum Sarranatium, populi Umbrici. Idem nomen Acerrarum Acerroniae simillimum etiam aliis duobus Italiae oppidis fuit, quorum alterum, quod hodie Gerrha nominatur, in agro Insubrium Gallorum in Gallia transpadana, alterum, quod hodie vocatur Acerra, in Campania situm erat. Stirps autem, a qua haec nomina ducta sunt, non solum italicis dialectis, sed etiam graecae linguae, atque adeo semiticis linguis propria est. Nam hebraicum āgar (colligere, conferre) idem est, quod graecum αγεϱ, unde ἀγείϱω, ἀγοϱά, ἄγυϱις ducta sunt, ab eademque stirpe profecta sunt Romanorum acervus et acerra. Acersoniae igitur et Acerrarum nomina concionem significant, id quod perspexit Huschkius in ling. Osc. et Sabell. monument. p. 195. et in tabul. Iguvin. p. 239., qui in hoc uno erravit, quod Acersoniam appellativum nomen esse opinatus est.

Radices in **n** desinentes, quae in latina lingua **d** addito auctae sunt, cuius rei manifestum exemplum latinum tend est cum sanscritico tan et graeco τεν comparatum, apud Umbros illa accessione carent, ut pen (pendere) et ten (tendere).

Ex his radicibus verbalibus stirpes verborum oriuntur aut ita, ut non mutentur, aut ita, ut addita aut vocali, aut consonante, aut syllaba augeantur et amplificentur.

1, Ex vocalibus autem

a, **a** radicibus additur, quo modo eae stirpes formantur, quae apud Romanos primam, quae dicitur, declinationem sequuntur, ut krema (cremare), seka (secare), hia (mittere) [13]), vaca (vacare), peka (peccare), sona sive suna (sonare), suka.

b, Adiuncto **e** quum aliae verborum stirpes finguntur, tum eae, quae apud Romanos alterius sunt, quae vocatur, declinationis, ut fave (favere), a quo ductum est fō-ni ex fau-ni ortum, kane (canere), move (movere), muge (mugire), pere (perdere), ple (plere), uqe, veie (viere), viqe (videre). Multorum quidem huius generis verborum **e** vocalis crebro, maxime in dialecto posteriorum aetate tabularum, in **i** transit, ut ti**d**e sive di**d**e (decere) [14]), habe sive habi (habere), here sive heri (velle), kaqe sive kaqi (calare sive potius calere, unde calendae ductae sunt, quod respondet Hebraeorum kārā et Graecorum καλεῖν), save sive savi (fulminare) [15]), seqe sive seqi (sedere), ta**d**e sive ta**d**i (tacere), tene sive teni (tenere), turse sive tursi (torrere).

c, **i** vocalis radici affigitur, ut pari (in amparītu et amparihmu) et seri (servare) [16]).

Huc etiam ea verba referenda sunt, quorum stirps consonante quidem terminatur, sed in praesenti et in formis ab eo ductis **i** addito augetur, ut pro fak (facere), de quo vid. §. 3., unde profecta sunt fakust et fakurent, in praesenti positum est faśi, quod apparet ex faśia (faciat) coniunctivo et faśiu (facere) infinitivo. Hoc quidem umbrica lingua cum latina congruit, differt autem ab ea, quod etiam in vocalem cadentes stirpes addita **i** vocali amplificantur. Nam ex da (dare) **a** in **u** mutato tuvi (tuve) fictum est, quod in antiquioribus tabulis invenitur, sive dovi, quod in inferioris aetatis tabulis, quae quidem stirps apud Umbros non reperitur nisi cum pur praepositione composita, ut purtuvitu (purtuvetu) sive purdovitu [17]).

13) Ehiato (VII. b, 2.), quod reddo ex verborum contextu latino emissos, ex eh praepositione et hia stirpe a sanscritico hĭ (mittere) ducta videtur esse compositum.

14) Tidit non, ut volunt Aufrecht. et Kirchhoff. (ling. umbr. monument. Vol. I. p. 33. et Vol. II. p. 404.), licet significat.

15) Aufrecht. et Kirchhoff., quum in ling. Umbr. monument. vol. II. p. 268. et 417. sav radicem eandem esse putarent, quam sanscriticam sū et graecam ὕ-(ειν), savitu umbricum latino nimbo reddiderunt; at ei interpretationi non solum obstat, quod iam antecedente nepitu ea notio expressa est, sed etiam, quod nihil est, quod ad sonitu, i. e. tonitruum sonitu, aptius addatur, quam fulmen. Videtur igitur stirps, a qua ortum est savitu, i. e. fulminum iactu, finitima esse ei stirpi, a qua repetendum est lituanicum źaib-as (fulmen).

16) Ab eadem radice hoc verbum umbricum, latinum servare graecumque ἐρύειν profecta sunt.

17) Non praeteriit me Buggium in act. eruditorum, quae Kuhn. edit, Volum. 6. p. 159. ab eadem radice anovihimu (VI. b. 49.), quod graeco ἀναπιθέσθω reddidit, ita duxisse, ut ex an-dovi assimulatione quadam annovi ortum esse diceret, pro quo anovi esset positum. Cui explicationi, quum anovihimu idem sit, quod anovīmu, maxime i longum obstat. Vid. not. 19.

Conferenda ea est cum latina dandi verbi forma, a qua fluxit duim coniunctivus, qui item compositorum est, ut perduim, creduim sive creduam, adduam[18]). Item ex sta (stare) Umbri stahi formaverunt, ut stahitu (stato), stahituto (stanto), staheren (stabunt), in quibus h ante i et e simili modo ex antecedente a vocali ortum est, ac v semivocalis in purtuvitu sive purtuvetu ante i et e ex antecedente u et in subocavu, quod in septima tabula legitur, ex eadem vocali sequente[19]). Eadem eiusdem stirpis amplificatio non solum in osca lingua invenitur, in qua pro stahi staí positum est, cui rei argumento sunt staít (stat) in tabul. Agnon. b, 23. et staíet (stant) in cipp. Abell. 58., sed etiam, i vocali inter duas vocales in j semivocalem mutata, in lituanica, in qua stóju, itemque in lettica et slavica, ubi staju et stoja idem significant, quod sto Latinorum.

2, Consonantes radici aut inseruntur aut subiunguntur, et quidem

a, inseritur radici nasalis, quae apta est et accomodata ad sequentis consonantis naturam. Gutturale igitur n ante gutturalem inseritur, ut in ning (ningere), cuius verbi radicem n gutturali carere latino nivis ex nigvis nato intelligitur. Nullum autem exstat exemplum neque labialis m ante labialem, neque dentalis n ante dentalem, neque eius n, quod ab Indis appellatur anusvara, ante spirans h, sibilantes semivocalesque litteras inserti.

b, Deinde extrema radix consonante augetur, ut sa radici, a qua manavit graecum *σάος* (*σῶς*), in umbrica latinaque lingua l additum est, cuius rei testimonium est sal-vo (salvus) adiectivum[20]). Item par (trajicere) radici in umbrica latinaque lingua t suffigitur, ex qua stirpe a vocali aucta purta sive porta (portare) fluxit.

3, Syllaba addita radix augetur, et quidem

a, reduplicatione, quae vocatur, veluti a da (dare) profectum est non solum teqa (dersa, dirsa), a quo ortum est ateqafust (andersafust, andirsafust), i. e. circumdederit, circumtulerit, lustraverit, sed etiam teq (ders, dirs)[21]),

---

18) Haec dandi verbi forma latina ut ab umbrica illo differt, quod nulla littera aucta est aut amplificata, sic hoc eum ea congruit, quod utriusque a in u est mutatum. Errant igitur Aufrecht. et Kirchhoff. (ling. Umbr. monument. Vol. II. p. 171.), quod ab iis, quae in eiusdem libri Vol. I. p. 63. recte dixerunt, discrepantes du-im latini u vocalem ex antiquiore av, pro quo Umbri uv sive ov posuissent, ortum esse contenderunt.

19) In stahi sive stahe stirpe h non, ut ait Buggius in act. eruditorum, quae Kuhn. edit, Volum. 5. p. 7., ad productionem antecedentis vocalis significandam positum est, sed ad spiritum, qui re vera auribus percipiebatur, exprimendum. Neque id, ut volunt Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monument. Vol. I. p. 79., ex j hiatus vitandi causa inserto ortum est; nam, quum in lituanica, lettica, slavica huius verbi forma ex i radici addito j natum sit, in umbrica h ante i positi alia sit causa necesse est. I autem, quod in stahi et tuvi sive dovi stirpibus invenitur, non longum est, id quod Aufrecht. et Kirchhoff. de illo ling. umbr. monument. Vol. I. p. 26., 79., 140., de hoc Vol. I. p. 142. dicunt, sed breve, quod eiusdem est generis, cuius i in faśia et faśiu.

20) Cum graeco *σάος* Umbrorum Romanorumque sal-vo conferendum est, non, ut fieri solet, cum sanscritico sárva (totus), quod ab eadem quidem radice profectum est, aut cum graeco *οὖλος* (= *ὅλος*), quibus Oscorum et Romanorum sollus Umbrorumque sevo respondet.

21) Quod Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monument. vol. II. p. 292. teqa (dersa, dirsa) stirpem a teq (ders, dirs) ductam esse dicunt, ego vero neutram a neutra, sed utramque a da radice ortam esse existimo.

quo modo ea stirps in umbrica lingua aliter quidem atque in latina, sed aeque atque in sanscritica et graeca, in praesenti aucta est. Nam post praemissae syllabae vocalem in eo pariter atque in futur. exact. dersicust (dixerit) et dersicurent (dixerint) radicis d littera in propriam Umbrorum sibilantem, quae in antiquioribus tabulis q nota, in posterioribus autem rs litteris exprimitur, versa est.

b, Radici nī syllaba additur, sicut in persnī sive pesnī (precari)[22], quocum conferendum est Romanorum frūni-sci, quod quum ex frug-ni-sci ortum esse infrunītus adiectivo liqueat, aliter se habet atque ap-isci, experg-isci, min-isci, nanc-isci, obliv-isci, pac-isci, ulc-isci. Comparanda cum eo sunt etiam noni ordinis verba sanscritica, quorum radici item nī syllaba addita est, et graeca verba in νημι cadentia.

§. 3.

B. De verbis derivatis.

Primitivis verbis opposita sunt derivata (παραγωγά), quae aut a verbis sunt ducta aut a nominibus. Et

1, horum quidem genus dividitur in causativa, desiderativa, frequentativa vel intensiva, inchoativa.

a, Causativa primum reduplicatione, quae dicitur, ex immediativis finguntur, ut ex sta (stare) sest sive sist (sistere); deinde addita p littera, nam ut in sanscrita lingua a sthā (stare) oritur sthap-ajā-mi (sisto), sic in umbrica et latina ex sta (stare) nascitur step sive stip, a quo causativo profectum est Latinorum adiectivum stipulo et Umbrorum steplo sive stiplo (firmus), a quo ductum est verbum nominale stepla sive stipla (stipulari). Tum gutturali tenui Umbri eodem modo, quo Romani, usi sunt ad fak causativum ex fa (splendere, apparere) radice derivandum, non, ut alii volunt, ex dhā sanscritico, aut ex fu, ex qua quidem radice umbrica fei

---

22) Quod ab Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monument. Vol. I. p. 74. et 143., Vol. II. p. 28. et 413. dictum est, pers-nī, quum persklum ab eo ducendum sit, ex persk-nī ortum esse, id non assentior. Primum enim persk, a quo profecta sunt peperscust et persklum, non idem declarare, quod pers-nī, a quo flexum est persnimu, certissimum est. Deinde ex eo, quod verbum, cuius est persnimu (precare) imperativus, sanscritico pratsch (rogare), zendico pĕrĕç latinoque precari respondet, non sequitur, ut etiam umbrici huius verbi stirps primo gutturali terminata sit. Nam quum non liceat, quae cuiusque linguae sint radices, ex propinquis linguis quaerere, sed quam quaeque lingua sequatur rationem, in radicibus eius definiendis spectare necesse sit (de qua re vid. Lepsii dissertat. de palaeograph. p. 52. et 83.), tum Aufrechto et Kirchhoff. ling. umbric. monument. Vol. II. p. 28. negantibus fieri posse, ut pratsch stirpis palatale elementum tsch gutturali natura omni exuta nudo s reddatur, id obstat, quod ipsi de abiecta gutturali in eiusdem libri Vol. II. p. 180. dixerunt. Etenim si non eadem ratione, at simili in umbrico destru (dextero) cum sanscritico dakschina, graeco δεξιτερός, romano dexter, gothico taihsvo comparato pro gutturali cum s coniuncta merum s positum est. Adde sestentasiaru (III. 2.), i. e. sextantariarum. Iisdem in persnimu propter nimis multarum consonantium concursum k excidisse ling. umbr. monum. Vol. I. p. 74. et Vol. II. p. 28. putantibus opponi potest, quot concurrant consonantes in persknímu, tot in persklum concurrere, kn autem litteras in umbrica lingua, ut in aknu et sevakne, non raro esse connexas.

